



ONEB
S T U D I E S
P Y Z A J L

DICTA GRAE,
CLAE SAPIENTV M,
Interprète Erasmo Rote-
rodamo.

EADEM PER AV-
sonium cum Scholijs
Erasmi.

Item.

MIMI PVBLIANI CVM SCHOLIIS
eiusdem, denuò auctis & re-
cognitis.



NORIBERGAE.
In Officina Typographica
Ulrici Neuberi.

M. D. LXXI.

CELEBRIA DICTA SAPL-
entum è Græcis, ut habeantur, à
nescio quo Græculo collecta, Eras-
mo interprete.

PERIANDRI CORINTHII.

Omnibus placeto	Bona res quies.
Periculosa temeritas.	
Semper uoluptates sunt mortales, honores autē immortales.	
Amicis aduersa fortuna utentibus idem esto.	
Lucrum turpe res pessima.	
Quicquid promiseris facito.	
Infortunium tuum cælato, ne uoluptate afficias inimicos.	
Veritati adhæreto.	Age quæ iusta sunt.
Violentiam oderis.	Principibus cede.
Voluptati tempera.	A iureiurando abstine.
Pictatem sectare.	Laudato honesta.
A uitijs abstine.	Beneficium repende.
Supplicibus misericors esto.	Liberos institue.
Sapientum utere consuetudine. Litem oderis.	
Bonos in precio habeto.	Audi quæ ad te pertinent.
Probrum fugite.	Responde in tempore.
Ea facito, quorum non possit pœnitere.	
Ne cui inuidias.	Oculos moderare.
Quod iustum est imitare.	Bene meritos honora.
Spem fove. Calumniam oderis.	Affabilis esto.
Cum erraris, muta consilium. Diutinam amicitiam custodi,	
Omnibus te ipsum præbe.	Concordiam sectare.
Magistratus metue.	Ne loqueris ad gratiam.

Ne

DICTA SAPIENTVM.

- | | |
|---------------------------|-----------------------------|
| Ne tempori credideris. | Tc ipsum ne negligas. |
| Seniorem reuerere. | Mortem oppete pro patria. |
| Ne quauis de re doleas. | Ex ingenuis liberos crea. |
| Sperato tanquam mortalis. | Parcito tanquam immortalis. |
| Ne efferaris gloria. | Arcanum cæla. |
| Cede magnis. | Oportunitatem expecta. |
| Mortalia cogita. | Largire cum utilitate. |
| Ne prior iniuriam facias. | Dolorem fuge. |
| Mortuum ne rideto. | Amicis utere. |
| Consule inculpatè. | Delecta amicos. |

EIVSDEM Periandri, ex Ausonio, Carmine Phaleucio,
atq; in his extrema sententia semper est gemina,

& disticho deprehenditur.

Nunquam discrepat utile à decoro.

Id est, nihil utile, quod non honestum.

Plus est solitus magis beatus.

Id est, quo quisq; dicitur, hoc magis solitus tñuit.

Mortem optare malum, timere peius.

Miser est, qui tædio uitæ mortem optat, sed miserior, qui
semper timet mortem.

Faxis ut libeat, quod est necesse.

Quod est necesse facere, fac ut libenter facias.

Multis terribilis, caueto multos.

Quem multi timent, is ut multos timeat necesse est.

Si fortuna iuuat, caueto tolli.

Ne extollaris fortunæ prosperitate.

A 2 3

DICTA

**Si fortuna tonat, caueto mergi.
In rebus aduersis ne frangaris animo.**

B I A N T I S, è Græca collectione.

*In speculo te ipsum contemplare, & si formosus apparet
bis, age quæ deceant formam: si deformis, quod in facie mis-
tus es, id morum pensato pulchritudine.*

De numine ne male loquar, quid sit autem ausculta.

*Auditio multa, loquere pauca. Prius intellige, & deinde
ad opus accede. Ne ob diuitias laudaris uirum indignum.*

*Persuasione cape, non ui. Compara in adolescentia quæ
dem molestiam, in senectutē uero sapientiam.*

E I V S D E M ex Ausonio, carmine Heroico.

Quænam summa boni & mēs quæ sibi cōscia recti.

Id est, quid optimum? Animus sibi bene conscius.

Pernities homini quæ maxima: solus homo alter

Id est, homini maxima pernicies est ab homine.

Quis diues: qui nil cupiat, quis pauper: auarus.

*Dives est, nō qui multa possidet, sed qui sua sorte contene-
tus est. Auarus omnis pauper est, qui quod habet, non habet.*

Quæ dos matronis pulcherrima: uita pudica.

Mulier etiam indotata satis dotata est: si casta est.

Quæ casta est: de qua mentiri fama ueretur.

Casta non est, de qua fama turpiter loquitur.

Quod prudentis opus: cum possit, nolle nocere.

Quid stulti proprium: non posse & uelle nocere.

Proprium prudentis est, etiam cum possit, nolle tamen ulcisci.

Malus, etiam cum non possit, optat tamen lēdere.

Pitaci

'SAPIENTVM.

PITACI MYTILENAEI, ex Græco.

- Quæ facturus es, ea ne prædixeris: Frustratus enim rideo
beris. Depositum redde. A familiaribus in minutis rebus
Læsus feras. Amico ne maledixeris.
Inimicum ne putas amicum. Vxori dominare.
Quæ feceris parentibus, eadem à liberis expecta.
Desidiosus ne esto. Inter amicos ne fueris iudex.
Ne contendere cum parentibus, etiam si iusta dixeris.
Ne geras imperium, priusquam parere didiceris.
Infortunatum ne irriseris. Ne lingua precurrat mentem.
Quæ fieri non possunt, caue concupiscas.
Ne festinaris loqui. Legibus pare.
Nosce teipsum. Ne quid nimis.
Ante omnia uenerare numen. Parentes revertere.
Auditio libenter. Voluptatem coerce.
Inimicitiam solue. Vxorem ducito ex æqualibus,
Nesi ex ditioribus duxeris, domines tibi pares, non affines.

EIVSDEM ex Ausonio,

Carmine iambico Trimetro.

Loqui ignorabit, qui tacere nescit.

Eiusdem est artis rectè tacere, & rectè loqui.

Bono probari malo, quam multis malis.

Non refert quam multi laudent te sed quales, Nam ab imo
probis laudari, uituperari est.

Demens superbis inuidet fœlicibus.

Stulticia est cruciari fœlicitate malorum, quasi in uul-
garibus bonis sit sita fœlicitas.

A 3

Demens

DICTA

Demens dolorem ridet infelicitum.

Aequè stultum est gaudere calamitate malorum, quæ non & ante fuerint infelices.

Pareto legi, quisquis legem sanxeris.

Quod alijs præscriperis, ipse seruato.

Plureis amicos re secunda compares.

Prospéra fortuna conciliat multos amicos.

Paucos amicos rebus aduersis probes.

Sed restante fortuna, pauci manent, sed sinceri.

CLEOBVLI LINDII.

Ne sis unquam elatus.

Domus curam age.

Libros euolute.

Liberos charissimos tibi erudi

Iustè iudicato.

Bonis benefacito.

A maledicentia temperato.

Suspicionem abiijcito.

Parentes patientia uince.

Beneficij accepti memento.

Inferiorem ne reijcias.

Aliena ne concupiscas.

Ne te ipsum præcipites in discrimen.

Res amici diligas, & perinde serues ut tuas.

Quod oderis, alteri ne feceris.

Ne cui miniteris, est enim muliebre.

Citius ad infortunatos quam fortuna os proficisci.

Lapis auri index, aurum hominis.

Voto nihil preciosius.

Mendax calumnia uitam corrumpit.

Mendaces odit quisquis prudens ac sapiens.

E I V S D E M E X A V S O N I O.

Carmine Asclepiadeo.

Quan

SAPIENTVM.

Quanto plus liceat, tam libeat minus.

Quo potentior es, hoc magis caue, ne quid pecces: et quo plus tibi permittunt homines ob principatum, hoc ipse minus permittas tibi.

Fortunæ inuidia est immeritus miser.

Cum bonis male est, fortunæ imputatur, cum ea saepe non sit in culpa.

Fœlix criminibus nullus erit diu.

Fœlicitas mala parta, non est diuturna.

Ignoscas alij s multa, nihil tibi.

In alios lenis est, in te ipsum seuerus.

Parcit quisq; bonis, prodere uult bonos.

Qui bonos uiros tradit in manus bonorum, is seruat, non perdit quos prodit. Quanquam suspicor legendum:
Parcit quisq; bonis, perdere uult malos.

Vt sit sensus: Qui malos ac nocentes afficit supplicio, is miseretur bonorum & innocentium, quos ab horum uiolentia liberat.

Maiorum meritis gloria non datur.

Laus parentum non tribuitur posteris.

Turpis saepe datur fama minoribus.

At probra parentum saepe obiciuntur liberis.

CHILONIS LACE DEMONII.

Nosce te ipsum.

Temperantiam exerce.

Tempori parce.

Multitudini place.

Ne cui inuidias mortalidas.

Turpia fuge.

Iustè rem pera.e.

Sapientia uter.

A +

Moris

DICTA.

Meribus probatus esto.

Ne quid suspiceris.

Oderis calumnias.

Ne fueris onerosus.

EI V S D E M ex Ausonio, Carmine Choriambico, ex
Choriambis tribus, & Amphibracho.

Nolo minor me timeat, despiciatq; maior.

Sic est moderanda uitæ ratio, ut ne inferioribus sis formidi-
nati, quod est tyrannicum: nec superioribus contemptui,
quod est abiectæ fortunæ.

Viue memor mortis, immemor ut sis salutis,

Sic fuge turpia, quasi hodie moriturus. Sic cura honesta
studia, quasi semper uicturus. Quando hic uersus depraua-
tus est, suspicor ita legendum: Viue memor mortis, ut sis
memor & salutis.

Tristia cuncta exuperans aut animo aut amico.

In rebus aduersis, aut amici consuetudine falle mero-
rem, aut animo te sustine.

Tubene si quid facias, non meminisse fas est.

Benefacta tua prædicent alij.

Grata senectus homini, quæ parilis iuuentæ.

Florida senectus similima est adolescentiæ.

Illa iuuentus grauior, quæ similis senectæ.

Morosa iuuentus similima est senectuti.

SOLONS ATHENIENSIS, ex Greco.

Deum cole.

Parentes reuerere.

Aamicis succurre.

Nemini inuideto.

Veritatem sustineto.

Ne iurato.

Legibus pareto.

Cogita quod iustum est.

Iracuna

SAPIENTVM.

Iracundiam moderare. Virtutem laudato.
Malos odio persequitor.

EIVSDEM ex Ausonio, carmine Trochaico.
Dico tunc uitam beatam, fata cum peracta sunt.
Nemo beatus, nisi qui fœliciter obierit diem.
Par pari iugato coniunx, dissidet quod impar est.

Firmissima est amicitia, quæ inter pares coijt.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.

Honos uerus uirtutis est premium, non munus fortune.
Clam coarguas propinquum, sed palam laudaueris.

Amicum laudato palam, sed errantem occulte corripe.
Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.

Clarior est nobilitas, quam ipse tuis uirtutibus tibi parari,
quam quæ ex maiorum imaginibus contigit.
Certa si decretasors est, quid cauere proderis?

Si fatum uitari non potest, quid prodest præscires?
Siue sunt incerta cuncta, quid timere conuenies?
Si incertum: stultum est timere, quod an euenturum sit, nescias.

THALETIS MILESI, ex Græco.

Principem honora. Amicos probato.
Similis tui sis. Nemini promittito.
Quod adest, boni consulito. A uitijs abstineto.
Gloriam sectare. Vitæ curam age.
Pacem dilige. Laudatus esto apud omnes.
Susurronem ex ædibus ejice.

EX AVSONIO, uersu Pentametro.

A 5 Tum

M I M I.

Turpe quid ausurus, te sine teste time.

Quod apud alium puderet facere, ne solus quidem ausus
facere, ueluti teipso teste.

Vita perit, mortis gloria non moritur.

Etiam post mortem uiuit gloria beneficiorum.

Quod facturus eris, dicere sustuleris.

Sile, si quid est in animo facere, ne quis impedit.

Crux est, si metuas uincere quod nequeas.

Auget sibi molestiam, qui timet quod uitari non potest.

Cum uerè obiurgas, sic inimice iuuas.

Præstat uerè carpi ab inimico, quam falso laudari ab amico.

Nil nimium, satis est, & ne sit hoc nimium.

Ne quid nimis, nam modus omnibus in rebus est optimus.

SEQ VVNT VR MIMI PVBLIANI,

ab Erasmo castigati & elucidati.

Erasmus Roterodamus Lectori S.D.

IN hos depravatissimè scriptos reperi Commētariolos, longe prodigiosiores, quam in Catonem, qui neq; cœlum neq; terram attingerent, & tamen accuratissimè depictedos, cœlum sacram. O seculum illud infœlix. Sunt pleriq; Senarij Iambici, si quod diuersum genus inciderit, annotabimus. Cœlum qui scire uoleat, à quam portentosis mendis hos Mimos vindicauerimus, is conferat cum ijs, quos ante nostram editionem habebant uulgari codices. Vale Lector, & fruere.

Alienum est omne quicquid optando euenit.

Asensus est: Id quod nostro studio paratur, uerè nostrum est

PUBLIANI.

Es. Quod uotis contingit: alienum est, nempe quod fortuna possit eripere.
Ab alio expectes, alteri quod feceris.

Qualis fueris in alios, tales alij futuri sunt in te.
Animus uereri qui scit, scit tuto aggredi.

Qui intelligit periculum, is nouit cauere periculum. Te meritas autem periculose rem aggreditur, quia nescit timere.
Auxilia humilia firma consensus facit.

Concordia fortia facit, etiam quæ sunt imbecillia, contra discordia maximas opes debilitat.

Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur.

Nobis in manu est non incipere amare, ubi cœperis, iam illi seruus es, nec potes excutere cum uelis.

Aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium.

Mulier nimis est uehementis in utraq; partem, animal affectibus obnoxium. Quanquam huiusmodi uiros etiam non paucos reperias, nimis in utraq; partem uehementes.
Ad tristem partem strenue suspicio.

Qui parum sunt fœlices, magis laborant suspitione.
Vel sic: Suspicio plerunq; uergit in partem deteriorem.
Strenua hic citam ac propensam significat.

Ames parentem, si æquus est, si aliter: feras.

Bonum parentem ama, difficilem tolera: uel ob hoc, quod pater est. Aequus dixit pro commodo & humano.

Aspicere oportet, quod possis deperdere.

Serua quod nolis perire. Oculus autem, hoc est, præsentia domini optimus rei custos.

Amici uitia si feras, facis tua.

Tibi

M I M I

Tibi imputabitur, quicquid peccet amicus, cū non admonescet.
Aliena homini ingenuo acerba est seruitus.

Durum est seruire ei, qui liber sit natus.
Absentem lædit, cum ebrio qui litigat.

Mens enim ebrij non adest, cum qua loquendum est, itaq;
perinde est ac si non adesset ipse.

Amans iratus multa mentitur sibi.

Multa enim constituit in animo, quæ non præstat postea:
Ego ne illam, quæ m, equæ illum?

Avarus ipse miseriæ causa est suæ.

Nam sua sponte, et uolens pauper est.

Amans quid cupiat scit, quid sapiat non uidet.

Amans sine iudicio cupit, nec expendit salubre sit an
perniciosum, id quod cupit.

Amans quod suspicatur uigilans, somniat.

Qui amant, ipsi somnia fingunt, et inani spe sibi blandiuntur.

Ad calamitatem quilibet rumor ualeat.

Tristia facile sparguntur in uulgas, quæ recta sunt et
honesta uix creduntur.

Amor extorqueri non potest, elabi potest.

Amor non potest subito uiq; expelli, sed paulatim potest
elabi.

Ab amante lachrymis redimas iracundiam.

Amans iratus lachrymis placatur.

Aperte cū est mulier, tum demū est bona.

Fucatum et fraudulentum est animal mulier, coq; mi-
nimè

P V B L I A N I.

Nimè noxia, cum palam est mala. Indicat hic nullam esse bonam.

Auarum facile capias, ubi non sis idem.

*Auarum non potest ferre avarus. Facile fallas avarum.
nisi sis idem quod ille est, avarus ut ipse.*

Amare & sapere uix Deo conceditur.

Non est eiusdem, amare & sanæ mentis esse.

Avarus, nisi cùm moritur, nil recèt facit.

Etenim cùm moritur, tum demum permittit alios suis opibus frui.

Astute dum celatur, se ætas indicat.

Senectus celari non potest. Nisi fortè sic legendum est.

Astu crimen celatur, ætas indicat. Tēpus enim aperit omnia.

Avarus damno potius, quam sapiens dolet.

Sapiens non cruciatur damnis rerum, sed is qui magnificat pecuniam

Auaro quid mali optes? ni ut uiuat diu.

Propterea quôd miserrimè uiuat. Summum igitur malum optat auaro, qui optat diutinam uitam.

Animo dolenti nil oportet credere.

Quam diu doles, ne quid tibi ipsi fidas. Nihil enim sani suadet dolor. Expecta donec residat ægritudo, tum statue, quid uelis loqui aut facere.

Alienum nobis, nostrum plus alijs placet.

Suæ quenq; fortis penitet. Aliena mirantur uerbis duna taxat, ceterum si ad rem uentum sit, pauci uelint cum alijs commutare.

Amare

M I M I

Amare iuueni fructus est, crimen sent.

Amor uoluptas est in iuuene, scelus in sene, non uoluptas.

Anus cum ludit, morti delicias facit.

Anum uicinam morti non decet lusus. Videtur enim mortem delectare uelle.

Amoris vulnus idem qui sanat, facit.

Desiderij uulnus sanat idem qui facit, si sui copiam faciat.

Allusit autem ad Telephi fabulam.

Ad poenitendum properat, cito qui iudicat.

Ne statim pronuncies, nā præcipitati iudicij saepe pænitet.

Aamicos res optimæ parant, aduersæ probant.

Et hoc carmen depravatum est, forte sic legendum:

Amicum optimæ res parant, tristes probant.

*Secunda fortuna conciliat amicos: Aduersa explorat ficti
sunt an ueri.*

Aleator, quāto in arte est melior, tanto est nequior.

*Hoc est Carmen Trochaicum. In mala re quo magis ex-
cellis, tanto sceleratior es. Veluti miles, quo melior est, hoc
uir nequior.*

Arcum intentio frangit, animum remissio.

*Arcus frangitur, si nimium tendas, animi uires augentur
excitatione, ocio franguntur.*

Bis est gratum, quod opus est, ultrò si offeras,

*Beneficium precibus extortum, magnam gratiæ partem
perdidit. Quod ultrò oblatum est, id bis gratum.*

Beneficium dare, qui nescit, iniustè petit.

Non debet uti beneficijs aliorum, qui ipse nemini beneficis

Bonum

PUBLIANI.

Bonum est fugienda aspicere alieno in malo.

Item Plautus. Fœliciter sapit, qui alieno periculo sapit.
Quid tibi sit fugiendum, id discas non tuo malo, sed ex alias
rum malis exemplum sumito.

Beneficium accipere, libertatem uendere est.

Fœlicius est dare, quam accipere: perdit enim libertatem,
quisquis utitur alterius beneficio.

Bona nimini hora est, ut non alicui sic mala.

Nulla fortuna tā secunda est quæ nō alicuius malo cōtingat.

Bis enim mori est, alterius arbitrio mori.

Mortem naturalem æquiore animo ferunt homines, adas
etum grauius,

Beneficia plura recipit, qui scit reddere.

Ingratis nemo plura committit. Quos experimur gratos,
in hos maiora conferimus.

Bis peccas, cum peccanti obsequia accommodas.

Nā & illum adiuvas, & te eiusdem malefacti reū facies.

Bonus animus Iæsus, grauius multo irascitur.

Lenis animus cum incadescit, uehementius commouetur.

Bona mors est hominis, uitæ quæ extinguit mala.

Miseris mors est optanda quoq; ut quæ finem adferas
malorum.

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.

Hunc uersum nominatim citat A. Gell: inter Mimos Pēdō
Blandicia, non imperio, fit dulcis Venus.

Iucundum est, cum ex animo quis redamatur, non cuius
extorquetur mulieris obsequium.

Bonus

M I M I.

Bonus amicus, nunquam erranti obsequium ac commodat.

Qui probus est, ipse nunquam alteri peccanti assentitur.
Beneficium dedisse qui dicit, petit.

Commemoratio beneficij dati, est reposcentis gratiam.
Coniunctio animi maxima est cognatio.

Arctius alligat mutua benevolentia, quam affinitas sanguinis. Forte uersus hic ita legendus.

Benevolus animus maxima est cognatio.

Nam *G* hoc modo carmen constat, *G* in hac litera, nempe *B*, reperiebatur.

Beneficium saepe dare, docere est reddere.

Qui saepe bene meretur de aliquo, is prouocat ad gratias eudinem, quadam pertinacia beneficiandi.

Bonitatis uerba imitari, maior malicia est.

Qui malus est, G bene loquitur, is plus quam malus est.
Bona opinio animi, tutior quam pecunia est.

Tutius est habere bonam famam, quam diuitias.

Bonum, tametsi supprimitur, non extinguitur.

Veritas et iustitia premi potest ad tempus, sed emergit postea.
Bis uincit, qui se uincit in uictoria.

Qui moderatè utitur uictoria, bis uincit, primum hostem, deinde animum.

Benignus etiam dandi causam cogitat.

Qui liberalis est, non expectat ut rogetur, sed ultrò quae uital occasionem largiendi.

Bis iniurimitur, qui suis armis perit.

Magis

PUBLIANI.

Magis dolet nobis calamitas, cuius ipsi ministravimus occasiōnem. Veluti si quis hominem euehat ad magistratum, quo postea subseratur.

Bene dormit, qui non sentit quām male dormiat.

Cum abest sensus mali, nihil est mali. Veluti si quis a longo somno obrutus, non sentiat incommoditatem strati.

Bonorum crimen, est officiosus miser.

Si calamitosus est qui recte uiuit, hoc imputatur uirtuti, cui dicunt aduersari fortunam.

Bona fama in tenebris propriū splendorē obtinet.

Decus recte factorum non potest obscurari. Lucet enim in ipso pectore, si non respondet opinio populi.

Bene cogitata si excidunt, non occidunt.

Quod recte prospexeris, etiam si ad tempus excidit animo, tamen non omnino perit.

Bene perdit nummos, iudici cum dat nocens.

Qui corrumpit iudicem pecunia, cum sit nocens, perdit eam, sed suo bono, proinde bene perdit.

Bonis nocet, quisquis pepercit malis.

Fit iniuria bonis, cum impunitas datur malis, Pauciores enim boni futuri sunt, si liceat impune malos esse.

Bono iusticiæ proxima est seueritas.

Seueritas enim est iustitia rigidior & exactior, uergens tamen ad inclemantium.

Bonum apud virum cito moritur iracundia.

Apud malos viros, ira tardissime senescit, apud bonos citius.

B Bona

M I M I.

Bona turpitudo est quæ periculum indicat.

Aut sic: Quæ periculum vindicat. Satius est pudere, quam
pigere. Pudor utilis est, per quem arcemur ab his quæ peris-
culoſe fecerimus.

Bona comparat præsidia misericordia.

In alios misericors, meretur ut in se fauentes sint alij, si
quid inciderit infortunij.

Bonarum rerum consuetudo pessima est.

Vilescit quod consuetum esse cœperit. Bonis rebus nihil
debet esse charius. Charum est autem quod rarum est.
Beneficium dignis ubi das, omnes obligas.

Virtuti enim datur, nō homini, Et tuo beneficio bonus in
cæteros omnes utitur.

Crudelis in re aduersa est obiurgatio.

Consolādus est amicus, non obiurgandus in rebus afflictis.

Cauendi nulla est dimittenda occasio.

Nunquam satis caueris. Aliquando nocendi est omittenda
occasio, cauendi nunquam.

Cui semper dederis, ubi neges rapere imperas.

Qui assueuerit semper accipere, is putat iam sibi deberi
quod datur, adeò ut si negaris: paratus sit eripere ui. Hoc ad
magnates peculiariter attinet.

Crudelem medicum intemperans æger facit.

Aegroti intēperantia facit, ut medicus cogatur ad duriora
remedia descendere, nempe sectionem, aut ustionē et similia.

Cuius mortem amici expectant, uitam oderunt.

Et uita sit inuisa oportet, cuius amici mortem optant.

Cum

P V B L I A N I.

Cum inimico nemo in gratiam tutò redit.

Non est statim fidendū inimico. Facilē dissoluitur benevolē
lentia, at nō facilē sarcitur. Et ira omnī tardissime senescit.
Citus uenit periculum cum contemnitur.

Magis nocet periculum his qui negligunt, quam qui carent.
Casta apud virum matrona parendo imperat.

Pudica uxor hoc imperat obsequio suo, ut quicquid uelit sā
ciat maritus, et magis impetrat cū obsequitur, quam cū exigit.
Cito ignominia fit superbi gloria.

Arrogantiam semper sequitur infamia. Et qui insolenter
utitur gloria, incidit in ignominiam.

Consilio melius uincas, quam iracundia.

Ira præceps est, prudentia sedata. Hac citius efficies qua
uoles, quam violentia & ferocitate.

Cuius dolori remedium est patientia.

Omnis dolor lenitur patientia. Alia alijs malis sunt reme-
dia, ac patientia commune est malorū omnium lenimentum.
Cum uitia profunt, peccat qui recte facit.

Cum expedit esse malus, tum nocet esse bonus. Et cum
præmium est malefactis, tum benefactis pena est,
Contemni est grauius, quam stultitia percuti.

Satius est contemni ob uitutem. quam stultum quid agere.
Comes facundus in via pro uehiculo est.

Ei hic uersus citatur ab Aul. Gellio. Incundus cōfabulator
facit ut non sentias uictoriū, perinde ac si uehiculo præris.
Cito impreborum lata in perniciem adunt.

Non est diuturna malorum fœlicitas,

B. 2

Caimes

DICTA.

Crimen relinquit uitæ, qui mortem appetit.

Videtur accusare uitam suam, qui mortem appetit.

Cui plus licet quām par est, plus uult quām licet.

Hunc uersiculum adscripsi ex Gellio Cui plus permittitur, quām æquum est, is plus sibi sumit quām oportet. Hoc conuenit in tyrannos & uxores.

Discipulus est prioris posterior dies.

Quotidiana rerum experientia reddimur prudentiores.

Damnare est obiurgare, cum auxilio est opus.

Cum amicus afflatus eget auxilio, tunc obiurgare non est officiosum, sed damnare est. Primum eximendus est calamitati, postea obiurgandus, quod sua culpa in eam inciderit.

Diu apparandum est bellum, ut uincas celerius.

Qui in aggrediendo nimium properant, aliquando tardius conficiunt. Mora in apparando, non dispendum est, sed lucrum ad negotium cito conficiendum.

Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum homi-

Ingratitudo omnia uitia in se com- (nem dixeris. plectitur. Nullum igitur conuicium dici potest contumeliosus. Versus est Trochaicus.

De inimico ne loquere malum, si cogitas.

Si cogitas nocere inimico, caue loquaris male, cauebit enim ille. Stultum est igitur maledicere. Nam si amicus est, inique facis: Sin inimicus, minus illi nocebis.

Deliberare utilia, mora tutissima est.

Tutissimum est esse lentas consultationes. Nam præcipita consilia plerumq; sunt inauspicata.

Dolor

P V B L I A N I.

Dolor decrescit, ubi quo crescat non habet.

Cū malū uenerit ad summū, tū necesse est, ut fiat remissus.

Dediscere flere fœminam est mendacium.

Id est, fœmina nunquam hoc dediscet.

Discordia fit charior concordia.

Amantum iræ, amoris redintegratio est.

Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.

De quo non potes nisi semel statuere, ueluti de matrimonio, de sacerdotio, de hoc deliberandum est, priusquam agas grediaris.

Difficilem oportet aurem habere ad crimina.

Ne facile credas accusanti quempiam.

Dum uita grata est, mortis conditio optima est.

Tum optimum est mori, cum adhuc dulce est uiuere.

Damnum appellādum est cuin mala fama lucrum.

Lucrum cum iactura famæ, damnum est, non lucrum.

Ducis in consilio posita est uirtus militum.

Frustra sunt fortes milites, ni Ducis præsentia regantur.

Dies quod donat timeas, cito raptum uenit.

Quod subitò contingit, subito soles auferre fortuna.

Dimissum quod nescitur, non amittitur.

Non est damnum, quod non sentis.

Etiam innocentes cogit mentiri dolor.

In tormentis sëpe mentiuntur et innocentes adacti cruciatui,

Etiam peccato recte fides præstatur.

Adeo seruanda est fides, ut etiam mulis in rebus aliquando præstanta sit.

M I M I.

Etiam celeritas in desiderio mora est.

Cupienti etiam festinatio uidetur mora.

Ex uitio alterius sapiens emendat suum.

Ex alienis erratis sapiens colligit quid sibi sit cauendum.
Et deest & superest miseris cogitatio.

Deest, qui non uident quo pacto possint mederi malis: &
superest, quia intelligunt quid debuerint cauere, sed serò.
Etiam obliuisci quod scis interdum expedit.

Quedam huiusmodi sunt, ut sint dediscenda legi poterat:
quid sit, ut sit sensus: Expedit aliquoties memnisse magis
quid præsens tempus & res postulet, quam tua dignitas.

Ex hominum quæstu facta fortuna est Dea,

Studium lucri facit ut fortuna credatur esse dea, quæ fa-
ueat. Aut Ex quæstu, id est, quærimonia. Nam illi imputant,
si quid acciderit aduersi.

Effugere cupiditatem, regnum est uincere.

Vincere auariciam aut iram, plus est quam regnum.

Exul ubi nusquam domus est, sine sepulchro est
tanquam mortuus. Opinor ita legendum:

Cui nusquam domus est, sine sepulchro est mortuus.

Id est, exul, qui nusquam habet domum, perinde est, ut
mortuus insepultus, aut cui non est sepulchrum.

Etiam qui faciunt, odio habent iniuriam.

Nolunt sibi fieri iniuriam, nec ij qui faciunt alijs.

Eripere telum, non dare irato decet.

Irata non est danda occasio nocendi, sed potius admenda.

Exilium est, patriæ qui se denegat.

Id est

PUBLIANI.

Id est: Qui latet, uon uersans in Republica, is sua sponte exul est.

Etiā capillus habet umbram suam.

Nō l est tam minutum, quod non posse aliquid.

Eheu quam miserum est, fieri metuendo senem.

Miserrimum est consenescere metu mali, quod nondum aduenerit.

Etiā hosti est æquus, qui habet in consilio fidem.

Qui sequitur quod dictat fides, non quod dolor, is etiam hostibus erit æquus.

Excelsis multo facilius casus nocet.

*Ex alto cadentibus, periculosior est ac facilior ruina.
Ita periculosius deiçimur ex alta fortuna.*

Fidem qui perdit, quo se feruet in reliquum.

Qui perdit pecuniam, habet quo se seruet, qui fidem, nihil habet quo se seruet.

Fortuna cum blanditur, captatum uenit.

Insidiatur fortuna dum blanda est: Ita tum maximè habenda est suspecta, cum maximè prospera est.

Fortuna citius reperias, quam retineas.

Difficilimum est retinere fortunam, ne mutetur. Et maior uirtus est tueri parta, quam parare.

Formosa facies muta commendatio est.

Fauetur enim formosis etiamsi nihil dicant:

Frustra rogatur, qui misereri non potest.

Qui non potest mollescere precibus, quid opus est hunc rogare?

DICTA

Fraus est accipere quod non possis reddere.

Dolus est accipere beneficium à quoquam, cui non possis tantundem reddere.

Fortuna nimium quem uouet, stultum facit.

Magnæ fœlicitatis comites sunt stultitia & arrogantia.
Fatetur facinus is qui iudicium fugit.

Qui detractat iudicatum, indicat se sibi male consciū esse.
Fœlix improbitas optimorum est calamitas.

Quoties fortuna fauet improbis, hoc fit calamitate &
malo optimorum.

Feras, non culpes, quod uitari non potest.

Hic uersus nominatim citatur à Gellio. Quod mutari cor-
rigiq; non potest, id tacite ferendum, non uituperandum.

Futura pugnant, ut sese superari sinant.

Sic instant futura mala, ut tamen uinci uitariq; possint
prudentia.

Furor sit læsa saepius patientia.

Et hoc carmen citatur à Gellio. Lenes, cum saepius pro-
uocantur, tandem irritati grauius irascuntur, quia rarius
& scriue commouentur.

Ficta cito ad naturam redierint suam.

Simulata non diu durant. Et iuxta Flaccum:
Naturam expellas furca, tamen usq; recurret.

Fidem qui perdit, nihil potest ultra perdere.

Omnia perdit, qui fidem perdidit.

Facilitas animi ad partem stultiæ rapit.

Facile adducitur ad uitia, qui facilis est animo, ut Mis-
tio

PUBLIANI.

tio ille Terentianus, qui ob facilitatem sexagenarius nouus factus est maritus.

Fides ut anima, unde abiit nunquam eò redit.

*Vt uita semel amissa nunquam reuertitur, sic ne fides.
Iuxta illud: Qui semel scurra, nunquam bonus pater familias.
Fidem nemo unquam perdit, nisi qui non habet.*

*Pecuniam non perdit, nisi qui habuit. At fidem is dicitur
perdidisse, qui non habuit, id est, perfidus fuit.*

Fortuna obesse nulli contenta est semel.

*Nullum malum cuenit sine incursa alterius mali.
Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia.*

*Versus est Trochaicus. Potens cum irascitur, fulminat,
non irascitur.*

Frustra cum ad senectā uentum est, repetes ados,

*Et hic Trochaicus est. Non licet reiu- (lescentiam,
uenescere. Proinde seni tractanda sunt senilia.*

Falsum maledictum, maleuolum mendatum est.

*Qui conuiciatur et mentitur, is maliciose mentitur.
Fœminæ naturam regere, desperare est omnium.*

*Omnes desperant se posse regere mulieris ingenium.
Fer difficilia, ut facilia læuius feras.*

*Exerce te rebus difficilioribus, ut alia facilius feras.
Fortuna nulli plus, quam consilium ualet.*

*Consilium efficit, plus quam felicitas.
Fortuna uitrea est, quæ cuim splendet, frangitur.*

*Vitrum cum maximē lucet, tum facilime frangitur, ita
splendidissima fortuna minimē durabilis est.*

M I M I

Feras quod lædit, ut quod prodest perferas.

Vt potiare commodo, feris incommodum.

Facit gratum fortuna, quam nemo uidet.

Fortuna facit inuidiosum, nisi lateat, ergo dissimulanda est.

Frugalitas miseria est rumoris boni.

Hunc uersum addidi ex Gellio. Esse frugalem, rumor quidem bonus est, sed infelix, et parum uulgo laudatus, cui profusio magis placet, nisi maius miseriæ accipere pro penuria, siue inopia, nam tum erit sensus: Qui laudatur frugalis, is non laudatur. Tertius sensus argutissimus est: Frugalitas est parsimoniae uitium, sed sub honesto laudatoq; nomine.

Graue præiudicium est, quod iudicium non habet.

Post præiudicia sequuntur iudicia, in quibus excutiuntur præiudicia. At graue est illud præiudicium quod non sequitur aliud iudicium, sed ipsum iudicij loco est. Velut si princeps præ se ferat animum inimicum in quempiam, nullus est iudex, qui secus ausit iudicare.

Grauissima est probi hominis iracundia.

Vir bonus ut tardior est ad iram, ita grauus irascitur, si uicta sit illius bonitas.

Grauus animi poena est, quem post factū poenitet.

Magnam poenam dedit, quem poenitet facti.

Grauus animus dubiam non habet sententiam.

Vir constans certa habet consilia.

Grauus est malum omne quod sub aspectu latet.

Malum illud est inmedicable, quod praetextu bona spci personatum est. Nam hic aspectum uocat personam.

Grauus

PUBLIANI.

Grauius nocet quodcunq; inexpertum accidit.

Noua mala grauius dolent.

Grauior inimicus, qui latet sub pectore.

Affectus uitiosus maximè nocet homini, at is latet sub pectore & ore, nec potest excuti.

Grauiusq; eit imperium consuetudinis.

Consuetudo planè tyrannidem quandam obtinet in rebus humanis, adeo ut stultissima quoq; si semel inoleuerint, reueli non possunt.

Grave crimen etiam cum dictum est, leuiter nocet.

Veluti si quis apud Anglos, uel ioco uocet aliquem proditorem, non caret periculo obodium criminis.

Heu quam difficilis est gloriæ custodia.

Fama honesta facilimè contaminatur, & difficilius est eam tueri, quam parare.

Homo extra corpus est suum, cum irascitur.

Non est apud se quisquis irascitur. Respondet cum illo sua priori: Absenti loquitur, qui cum irato litigat.

Heu quam est timendus, qui mori tutum putat.

Qui morte cōtemnit, is uehementer est timendus, propterea quod aliena uitæ dominus est, quisquis sui contemptor est.

Homo qui in homine calamitoso est misericors

versus est Trochaicus Intelligit enim meminit sui sibi posse accidere, ut sit opus auxilio.

Est honesta turpitudo pro bona causa mori.

Gloriosa est infamia, uitam impendere iustitiae. Et hic Trochaicus est.

Habet

M I M I

Habet in aduersis auxilia, qui in secūdis cōmodat.

Et hic Trochaicus est. Qui cum fœliciter agit, alij subuenit, huic alij subueniunt rebus aduersis.

Heu quām miserum est, lædi ab illo, de quo non possis queri.

Et hic Trochaicus est. Durum est lædi uel ab amico, uel a potente. Quod queri de altero non est honestum, de altero non est tutum.

Homines experiri multa paupertas iubet.

Paupertas ingeniosa est, artium expertrix, Et ingenium mala sepe mouent, iuxta Nasonem.

Heu dolor, quām miser est, qui in tormento uocem non habet.

Et hic Trochaicus est. In tormentis uerum exquiritur. At quidam ita torquentur, ut non ausint uerum dicere, scientes quid uelit taceri, qui torquet.

Heu quām pornitenda incurruunt homines uiuentes.

In longa uita multa accidunt quæ nolis, (do diu, Hic quoq; Trochaicus est.

Habet suum uenenum blanda oratio.

Insidiosa est blandiloquentia, et melle litum uenenum:

Homo totius moritur, quoties amittit suos.

Orbitas mors quedam est.

Homo semper in se aliud fert, in alterum aliud cogitat.

Hic est Iambicus Tetrameter. Nemo non est dissimilator.

Honestus rumor alterum est patrimonium.

Tan^o

P V B L I A N I.

Tantundem ferè ualeat honesta fama, quantū patrimonium.
Homo nescit, si dolore fortunam inuenit.

Non sentitur dolor, quo paratur aliquid commodi.
Honestè seruit, qui succumbit tempori.

Honestū est seruire temporis, & cedere fortunæ ad tempus.
Homo uitæ commodatus, non donatus est.

Vita datur ad tempus, ut qui dedit exigat suo iure quando
docunq; uelit.

Heredem scire utilius est quam quærere.

Quidam codices habent ferre pro scire. Satius est ferre qua
lēm cunq; hæredem, quam nullam habere. Si legas scire, sens
sus est : Præstat habere liberos, quibus tua relinquas, quam
circumspicere alienos, quibus tua relinquas.

Hæredis fletus sub persona risus est.

Hic quoq; rursus citatur à Gellio. Fletus hæredis est risus
personatus, id est, dissimulatus: gaudet etiam si flet,
Habent locum maledicti crebræ nuptiæ.

Vulgus enim male sentit de muliere sæpe nupta.
Inferior horret quicquid peccat superior.

Quod principes peccant, id recidit in malum plebis.
Inimicum ulcisci, uitam accipere est alteram.

Iucundiſſima res est uindicta, & uelut altera uita. Primum
uitam tuetur suam, deinde capit uoluptatem ex ultione.
Id agas, ne quis tuo te merito oderit.

Oditum effugere non possumus, ne quis nos merito oderit,
id eauere possumus.

Inuitum cum retineas, exire incitas.

Qui

M I M Y.

Qui nō cupit manere, hunc quo magis retines, hoc magis cupit abire.

Ingenuitatem lædis, cum indignu n rogas.

Seruile est, Supplicem est homini indigno: læditur igitur ingenuitas.

In nullum auarus bonus est, in se pessimus.

Nulli benefacit auarus, uerum etiam se discruciat custodia rerum suarum.

In opib beneficium bis dat, qui dat celeriter.

Bis gratū est beneficiū, quod statim prompteq; datur egēti,
Instructa inopia est in diuītīs cupiditas.

Cupere cum abundes, inopia quædam est, non expeditet sed instructa & onusta, quasi dicas: diue. inopia.

Invitat culpam, qui peccatum præterit.

Qui dissimulat peccatum. is inuitat ut iterum peccetur.
Iucundum nihil est, nisi quod reficit uarietas.

Nil tam dulce, quod non pareat satietatem, nisi uarietas conditatur.

Ingenuitas non recipit contumeliam.

Generosi & ingenui animi est negligere contumeliae.
Aut sic: Generosus animus impatiens est contumeliae.
Impune peccat in eum qui peccat rarius.

Forte sic legendum est: Impune peccat, cum quis peccat rarius. Aut: impune peccat cum quis peccat rarius.

Ingratus unus miseris omnibus nocet..

Vnus hominis ingratitude facit, ut ne gratis succurratur cum egent.

In

PUBLIANI.

In miseri uita nulla contumelia deest.

Hoc carmen uarie reperi deprauatum. Et haud scio an recte diuinaram. Non uidetur contumelia quam facias in hominem malum & infelicem, Nisi si mavis: In uitia miseri contumelia est dicere, id est, contumelie genus est, insectari uitia hominis miseri, qui magis eget consolatione.

In opiae parua desunt, auariciæ omnia.

Videtur hic uersus deprauatus, Nam in controversijs Secreca citat eiusmodi Publij carmen.

Luxuriæ desunt multa, auariciæ omnia. Quanquam hic quicq[ue] Versus constabit, si legas: In opiae desunt parua, siue pauca. Quod ego malum. Multum desiderat pauper ad uitæ usum, sed auarus magis eget, qui nec id habet quod habet.

Ita amicum habeas, posse ut fieri inimicū putas.

Et hinc citatur à Gell: Sic ama, tanquam osurus, Ita confidas amico, ut fiat inimicus, non multum possit ledere.

Inuidiam ferre aut fortis aut fœlix potest.

Fortunati negligunt inuidiam, uir fortis contemnit.

In amore mendax semper iracundia.

Eadem est sententia, quam ante dixit: Amans iratus multa mentitur sibi.

Inuidia tacite, sed inimicè irascitur.

Inuidus habet iram suam, sed dissimulatam & minutam, hoc est, de re nihil.

Iratum breviter uites, ini. nicum diu.

Ira statim subsedit, odium piuturnum est. Odit animus quisquis est inimicus, ab hoc igitur diu cœendum est.

iii

M I M I

imō semper. Hoc ipsum admonet sapiens Hebræus. Ab hoste reconciliato cauendum esse.

Iniuriarum remedium est obliuio.

Vindicta nō medetur iniurijs tibi factis, sed obliuio optimē. Iracundiam qui uincit, hostem superat maximum.

Trochaicus est. Fortissimi est iram suam uincere, hoc Alexander ille magnus orbis domitor non potuit.

In malis sperare bonum, nisi innēocs nemo potest.

Et hic Trochaicus. Bona conscientia facit, ut in malis speremus superos auxiliaturos.

In vindicando criminosa est celeritas.

Quidam habent: In iudicando, Ne sis præceps uel ad ultionem, uel ad iudicandum.

Inimicum quamuis humilem docti est metuere.

Sapientis est non contemnere hostem quantumuis humili, potest enim per occasionem nocere.

In calamitoso, risus etiam iniuria est.

Miseri etiam risu offenduntur. Et quibus res sunt minus secundæ, ad suspicionem mali rapiunt etiam casu dicta.

Iudex damnatur, cum nocens absoluitur.

Cum absoluitur nocens, tunc iudex nō innocens sit oportet. Ignoscere humanum, nisi pudet cui ignoscitur.

Non ignoscendum est, nisi paeniteat facti.

In rebus dubijs plurima est audacia.

Forte legendum est: Plurimum, uel plurimi. Multum uero letaudacia, cum res est dubia, hoc est, periculosa.

Illo nocens se damnat, quo peccat die.

Quis quis.

PUBLIANI.

Quisquis admittit scelus, illico sibi damnatus est iudice
conscientia, etiamsi iudex nemo pronunciet.

Ita crede amico, ne sit inimici loco.

Idem dixit antea: Ita amicum habeas, &c.

Iratus etiam facinus consilium putat.

Qui irascitur, etiam scelus putat iudicio recteque fieri:
Improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragis

Huc addidit ex Gellio, Qui semel experitus, (gium facit
tus, iterū exponit se periculo, impudenter accusat fortunam.
Est autem & hic Trochaicus Tetrameter.

Loco ignominiae est apud indignum dignitas.

Honor promissus indigno, non honestat eum, sed magis
decorat.

Laus ubi noua oritur, etiam uetus admittitur.

Si iterum recte facies, efficies, ut superiori de te fama si-
dem habeant homines.

Læso doloris remedium inimici dolor.

Suum malum minus sentit, qui potest ulcisci.

Leuis est fortuna, citō reposcit quæ dedit.

Fortuna inconstans statim repetit & austert, si quid dedidit.

Lex uniuersi est, quæ iubet nasci & mori.

Necessitas nascendi ac moriendi, neminem non cōplectitur.

Lucrum sine damno alterius fieri non potest.

Vnus lucrum damnum est alterius: At non item in rebus
animi.

Lascivia & laus nunquam habent concordiam.

Intemperantia semper obnoxia est infamie.

C Legem

M I M I

Legem nocens ueretur, fortunam innocens.

*Innocens et si nō ueretur leges ut nocens, tamen timet for-
tunam, quæ nonnunquam opprimit innocentem.*

Luxuriæ desunt multa, auaritiae omnia.

*Hunc uersum Seneca citat in controuersijs, Multis eget
profusor, auarus eget omnibus. Illi multis opus est, qui mulo-
rum absumit, huic nihil est satis, cum sit insatiabilis.
Malignos fieri maxime ingrati docent.*

*Ingrati faciunt, ut qui benigni fuerint, contractius donent.
Hos enim malignos uocat, id est parcos.*

Multis minatur, qui uni facit iniuriam.

*Omnes expectant iniuriam ab eo, qui uni fecerit.
Mora omnis odio est, sed facit sapientiam.*

*Molesta est mora in omni re, tamen ea nos reddit sapien-
tiam ne quid agamus temere aut inconsultè.
Mala causa est, quæ requirit misericordiam.*

*Innocentia non eget misericordia, sed æquum desiderat
iudicem. At cui fiducia rei tota est in misericordia iudicis,
peccatum habet causam.*

Mori est fœlicis, antequam mortem inuocet.

*Ille fœliciter moritur, qui tum moritur cum adhuc iu-
cunda est uita, ac nondum huius tedium mortem optat. Quis
dam codices pro fœlicis, habent fœlicius.*

Miserum est tacere cogi, quod cupias loqui.

*Durum est, cum non libet loqui quod uelis. Nam illie
multo minus licebit facere que uelis, si loqui non licet.
Miserrima est fortuna quæ inimico caret.*

Fœlicis

P V B L I A N I I.

Fœlicitas incitat inimicitias: Ergo cui nullus intuidet, is
miserrimus sit oportet.

Malus est uocandus, qui sua causa est bonus.

Qui benefacit commodi sui causa, is malefacit.

Malus ubi bonum se simulat, tunc est pessimus.

Dissimulata malicia pessima est.

Metus cum uenit, raru[m] habet somnus locum.

Timor abigit somnū. Aut nō est dormitandum in periculo.

Mori necesse est, sed non quoties uolueris.

Aliquando optant mortem homines, cum mori nō possunt.

Male geritur quicquid geritur fortunæ fide.

Quod à fortuna pendet, id parum est firmum.

Mortuo qui mittit munus, nihil dat illi, adimit sibi.

Olim solebant inferias exhibere mortuis. Hoc perit uiuis,
et nihil accipit mortuus. Trochaicus est.

Minus est quam seruus dominus, qui seruos timet.

Infra seruos est, qui seruos suos timet, nempe male sibi
conscius.

Magis hæres fidus nascitur, quam scribitur.

Filius nascitur hæres, hereditata scribitur.

Malo in consilio fœminæ uincunt uiros.

In rebus malis plus sapiunt fœminæ, quam uiri.

Mala est uoluptas, alienis assuescere.

Dulcis cibus alien⁹, sed fœda uoluptas est assuescere alienis.

Magno cū periculo custoditur, quod multis placeat.
ti, ue Trochaicus est. Difficile est seruare, duop[er] exspectunt mul-
ti, ueluti pecuniam, aut formosam uxorem

C 2 Mala

Mala est medicina, ubi aliquid naturæ perit.

Medicina quæ ledit naturam, dura est, uelut quæ membra
brum auferit.

Malæ naturæ nunquam doctrina indigent.

Ad mala et uel citra dolorem sumus idonei, uirtus discitur.
Miseriam nescire, est sine periculo uiuere.

Qui sine periculo uiuit, is fœliciter uiuit. Vita tuta, quando
vis humilis, fœlicissima est.

Male uiuunt qui se semper uicturos putant.

Semper enim prorogant in crastinum, si quid est uoluptas
vis aut bona rei.

Maledictum interpretando, facies acrius.

Quidam excusant conuictum interpretatione, atq; ita ma-
gis irritant.

Male secū agit æger inedicum qui heredem facit.
Inuitat enim, ut occidat.

Minus decipitur, cui negatur celeriter.

Minus enim diu sperat, & frustratur leuius.

Mutat se bonitas, cum irrites iniuria.

Boni fiunt mali, si prouoces.

Mulier cum sola cogitat, male cogitat,

Mulier apud se cogitabūda, aliquid mali uoluit in animo.

Male facere qui uult, nunquam nō causam inuenit.

Malis nusquam deest occasio malefaciendi.

Maleuolus semper sua natura uescitur.

Etiam si deest præmium maleficij, tamen maleuolus frui-
tur sua malitia, & uel gratis malus est.

etiam

Mulo

P V B L I A N I.

Multos timere debet, quem multi timent.

Quem multi timent, hunc pauci amant. Is igitur uicissim
timcat oportet à quibus timetur.

Male imperando summū imperium amittitur.

Summum imperium est bene imperare, id amittitur male
imperando. Siue nullum imperium tam potens, quod non
amittatur, sic tyrannice imperes.

Mulier quæ nubit multis non placet.

Male audiunt uulgo, quæ sepius mutant maritum, aut in
fœlices sunt, aut incontinentes, aut incōstantes, aut morose.
Malum consilium est, quod mutari non potest.

Nunquam te inuoluas huiusmodi modo, ut te explicare
non possis. Hunc uersum adiecimus ex Aulo Gellio.

Nil agere semper in fœlici est optimum.

Qui infortunatus est in rebus gerendis, huic optimum est
in ocio uiuere.

Nil peccant oculi, si animus oculis imperet.

Oculos incusamus, quasi ministrent occasionem malariorum
eupiditatum: at animus in culpa est, qui oculis non imperat.

Nil proprium ducas, quod mutari possit.

Nihil existimes uerè tuum ac perpetuum, quod possit au-
ferri.

Non citò ruina perit uir qui ruinam timet.

Fortasse sic legendum, ut sit Trochaicus: Non cito pra-
rit ruina qui ruinam prætimet. Id est, non facile opprimitur
incommodo, qui præcauet incommodum, & non facile op-
primitur periculo, qui periculum obseruat.

C 3 Nesci

M I M I.

Nescis quid optes, aut quid fugias, ita ludit dies,

Iambicus est Tetrarometer. Ita ludit tempus & fortunæ uicissitudo, ut sœpe quæ putaris optima, sentias maximè nocere & è contra.

Nunquam periculum sine periculo uincitur.

Et hic uersus citatur à Gellio. Audendum est aliquo passo, si cupias effugere periculum. Nam qui timet omnia, nunquam se se explicabit.

Nulla tam bona est fortuna, de qua nihil possis

Trochaicus est: Fœlicitati semper aliquod (queri) adiunctum est incommodeum.

Nusquam melius morimur homines, quam ubi libenter uiximus.

Ibi mori optimum, ubi iucundè uiximus. Trochaicus est. Negandi causa auaro nusquam deficit.

Qui non dat libenter, semper aliquam inuenit causam cur non det.

Nimium altercando ueritas amittitur.

Moderata disceptatione ueritas excutitur, at immoderata perditur. Id quod prorsus accidit Sophistis quibusdam, ac risos disputatoribus. Hic uersus à Gellio citatur.

Quotidie damnatur, qui semper timet.

Qui sibi conscius semper timet supplicium, is quotidianus damnatur.

Quotidie est deterior posterior dies.

Semper ueritas uergit in peius, hoc est, mores hominum in dies magis ac magis degenerant.

Ridic

PUBLIANI.

Ridiculum est odio nocentis perdere innocentis.

Trochaicus est. Stultum est sic odiſſe peccatum, ut ipſe pecces, ueluti ſi quis ob impudicam uxorem, ueneno tollat adulteram, & ſic puniat adulterium, ut ipſe fiat ueneficus.

Pars beneficij est, quod peritur ſi negas.

Quidam ita moleſte dant, ut gratiam amittant beneficiaj. Quidam adeò commode negantut, uideantur dediſſe. Stultum est timere, quod uitari non potest.

Veluti mortem aut aliud fatale incommođum.

Timidus uocat ſe cautum, parcum fōrdidus.

Suis quifq; uitijs blanditur, eaq; extenuat mutatis nomi- nibus.

Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

Et hic refertur ab Aul. Gellio. Si ſinas impunitum peccatum, facis ut iterum libeat peccare.

Tam deest auaro quod habet, quam quod non habet.

Et hunc Senarium citat Seneca in controuerſijs. Auarus non magis utitur ſuis, quam alienis, utrisq; igitur ex aequo caret.

O uita misero longa, fœlici breuis.

Hunc refert Seneca: Infœlices laborant tedium uite.

Fœlicibus mors ante diem uidetur accidere, quod uita tedium non ſentiant.

FINIS

13
20
25
30
35
40
45
50
55
60
65
70
75
80
85
90
95
100
105
110
115
120
125
130
135
140
145
150
155
160
165
170
175
180
185
190
195
200
205
210
215
220
225
230
235
240
245
250
255
260
265
270
275
280
285
290
295
300
305
310
315
320
325
330
335
340
345
350
355
360
365
370
375
380
385
390
395
400
405
410
415
420
425
430
435
440
445
450
455
460
465
470
475
480
485
490
495
500
505
510
515
520
525
530
535
540
545
550
555
560
565
570
575
580
585
590
595
600
605
610
615
620
625
630
635
640
645
650
655
660
665
670
675
680
685
690
695
700
705
710
715
720
725
730
735
740
745
750
755
760
765
770
775
780
785
790
795
800
805
810
815
820
825
830
835
840
845
850
855
860
865
870
875
880
885
890
895
900
905
910
915
920
925
930
935
940
945
950
955
960
965
970
975
980
985
990
995
1000

TC 732

ULB Halle

004 768 493

3



h c



Farbkarte #13

B.I.G.

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32
Blue								
Cyan								
Green								
Yellow								
Red								
Magenta								
White								
3/Color								
Black								

DICTA GRAE,
CLAE SAPIENTV M,
Interprete Erasmo Rote-
rodamo.
EADEM PER AV-
sonium cum Scholijſ
Erasmi.

MINI PVBLIANI CVM SCHOLIJIS
eiusdem, denuo auctis & re-
cognitis.



NORIBERGAE.
In Officina Typographica
Ulrici Neuberi.

M. D. LXXI.

